

1544 gravate se facturum polliceretur, Vigneum, ex Gallica nobilitate virum, ad Suleimanum designavit, atque per Monlucium legatum Senatui significavit:

M. D. XXXXV.

1545

A Gallorum Regum pietate, ac religione nunquam se deflexisse; societatem, atque amicitiam cum barbaro Rege coluisse, qua, si occasio sese objiceret, ad Christianorum Principum commodum uteretur: id nunc usu venire, ut, Cæsare, ac Ferdinando cum Suleimano inducias pacisci cupientibus, Vigneum summis itineribus Byzantium contendere jubere, quo tuto itineris habendi facultate impetrata, reversus, Cæsaris legato una comes accederet. Hieronymus Adurnus Ferdinandi nomine e Vienna urbe per Daciam, ac Mœsiam Byzantium proficiscitur, statimque pestilentia correptus excessit. Cæsar Gerardum Vellwicum, insigni eruditione, & linguarum scientia præditum, ad Suleimanum misit; qui Venetias accedens, una cum Monlucio Regis legato Venetis triremibus Epidamnium devectus est. Adurno defuncto, Nicolaus Siccus a Ferdinando sufficitur; ei quoque triremes, quæ in Illyricum ducerent, a Senatu datæ. Id vero Regum nomine a Venetis petierant, ut legato in mandatis darent, quibuscumque posset officiis, quæ pro Cæsare, & Ferdinando Byzantii negotia agerentur, juvaret. Hoc Senatus amicis Regibus facile præstitit; legatum admonuit, ut in iis peragendis summa prudentia, ingeniique dexteritate uteretur, ne, inclinatis ad suspicandum gentis animis, de Reipublicæ mente hæsitatio injiceretur; cum satis constaret, non deesse qui Venetis maligne obstrictando, Suleimano suspectos reddere conarentur; infidam illorum amicitiam, nutantem pacem asserentes, ut inde a barbaris cuncta Venetorum consilia, atque acta exactius observarentur.

*Traffatio-
nes inter
Ferdinan-
dum Regem
& Venetos
de finium
controver-
siis dirim-
dis.*

Sub id tempus de finium controversiis inter Ferdinandum, ac Rempublicam denuo agitari coeptum est, Cæsare ad id cohortante, ut deterfis undique simultatum causis, firmioribus nixa radicibus pax, atque amicitia in dies incrementa fumeret. Velle se, ut quæ ad Maranum oppidum spectarent, ea

ita